UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii, Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

SS. Afra, Hilaria, Evtropia, Evnomia, Digna, Martyres.

urn:nbn:de:hbz:466:1-79686

Visual Library

S. AFRA M.

Te Venerem Cyprus, te Rhætia noſtra Mineruam
Fecit, victricem Martyra Boia dedit.
Turpia sacra Venus docuit, pia Rhætia casta:
Sed quod peccaras, pectoris error erat.

Lux ubi cœlestis iussit procul esse tenebras,
Vicisti Veſtæ mente pudicitiam.
Sic olidus fornix sanctas migrauit in aras:
Cor sanctum Cælo gratior ara Deo eſt.

SS. HILARIA, EVTROPIA, EVNOMIA, DIGNA.MM.

Dum legit hæc NATÆ, *dominæ dum pignora ſeruæ;*
  MATER, *et hæ fiunt ſanctus in igne cinis:*
Ille cinis veſter BOIAS *prior imbuit aras;*
  Hinc tot apud Superos lumina BOIA *micant.*

RHĘTIA *produxit, ſed* BOICA *condidit artus;*
  Illa thorum vobis præbuit, iſta rogum.
Hunc LYCVS *extinxit, ſed non extinguere veſtrum*
  Virtutis potuit flamma, vel vnda decus.

SS. AFRA,
HILARIA, EVTROPIA, EVNOMIA, DIGNA,
MARTYRES.

CCCIII.

Martyrologia. Vitæ apud Sur. M. Velſeri nota ad eandem. SS. Auguſtani.

ETſi Laureacenſem & Noricum agrum Deciana primum crudelitas, & mox inſecuta Diocletiana ſacro Martyrum cruore imbuerit, campos tamen Lycates, hodiéque in Boico ſolo jacentes prima conſecrauit Afra, quæ flamma è fumo data adeo illos illuſtrauit, vti cum illis ſimul velut altera mundi lampas omnium gentium terras longè latéque irradiarit, locus inſula tum fuit, quam in Rhætiæ topographia ſpectas, poſtea Lyco varijs mæandris expatiato in continentem vertit. Hiſtoriam Afræ cum Hilaria & ancillis omnium manibus tritam copioſius non perſequar, cum & Surius ſuis illam Voluminibus adiecerit, & M. Velſerus, P.M. eandem ſeorſim editam commentarijs illuſtrarit. Cuius & Breuiarium in Diuis Auguſtanis cum illuſtri elogio cognoſcis. Quis enim neſciat, D. Narciſſum ab Hiſpanis profugum ad hanc Auguſtæ Vindel. tum Veneri Cypriæ operantem diuertiſſe, eámque cum totâ familiâ proſcripto dæmonum cultu, ad Chriſti diſciplinam traduxiſſe, traductam mox à Gaio Rhætiæ præſide flammis addictam, fumo necatam; Hilariam parentem cum tribus Afræ pediſequis ad eiuſdem tumulum igne crematas? Nec aliud ſupereſt, quàm vt per earum vota nobis DEVM propitiemus.